

CAPUT XXV.

Quo ritu danda sit benedictio sollemnis ab Episcopo. In Missis datur, finito sermone, et confessione per Diaconum cantata, ac Indulgentia publicata. Datur ab Episcopo stante in medio altaris. Ritus dandi benedictionem in fine Missæ ac Vesperarum. Indulgentia, quæ ab Archiepiscopo et Episcopo, pro benedictione, conceditur, est quadraginta dierum, quæ a Cardinali vero, centum dierum.

1. Duobus modis dantur benedictiones ab Episcopis in Missis, uno nempe, quando infra Missam sermo habetur; tunc enim, finito sermone, Diaconus, qui cantavit Evangelium, stans ante infimum, vel in supremo gradu altaris, conversus ad Episcopum, capite inclinato, cantat confessionem in tono, qui notatur in fine hujus Cæremonialis, et dum dicit *Tibi Pater, et Te Pater*, si fuerit Canonicus, se inclinat profundius; si vero non fuerit Canonicus, genuflectit. Deinde, finita confessione, sermocinator, qui in pulpito, dum cantatur confessio, manet genuflexus, surgens, publicabit Indulgentiam in forma sequenti:

Reverendissimus in Christo Pater, et Dominus, Dominus N. Dei et Apostolicæ Sedis gratia hujus sanctæ N. Ecclesiæ Episcopus dat, et concedit omnibus hic præsentibus quadraginta dies de vera Indulgentia in forma Ecclesiæ consueta: rogate Deum pro felici statu sanctissimi Domini nostri N. divina Providentia Papæ N. Dominationis suæ Reverendissimæ, et sanctæ Matris Ecclesiæ.

2. Publicata Indulgentia, quæ, Episcopo prædicante, ab assistente Presbytero stante ad dexteram Episcopi annuntiatur, Episcopus, deposita mitra, stans leget ex libro, per ministrum de illo servientem, supra caput sustentato, si non celebret sollemniter, si vero sollemniter celebret, per Presbyterum assistentem, in tono orationis, conversus ad populum, quæ sequuntur.

Precibus, et meritis beatæ Mariæ semper Virginis, beati Michaelis Archangeli, beati Joannis Baptistæ, SS. Apostolorum Petri et Pauli, et omnium Sanctorum, misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis peccatis vestris, perducat vos ad vitam æternam. R. Amen.

3. Deinde accepta mitra, et elevans oculos et manus, quas ante faciem jungit, sinistra baculum accipit, et benedicit populo, dicens: *Et benedictio Dei omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritus sancti descendat super vos, et maneat semper. R. Amen.* Cum autem hæc verba profert, signat versus latus suum sinistrum, videlicet in verbo *Patris*, deinde, dum dicit *et Filii*, directe ante faciem suam, et demum dum dicit *et Spiritus sancti*, signat versus latus suum dexterum: cum autem dicit *super vos, etc.*, dimisso baculo, manus junctas ante pectus applicat.

4. Si vero benedicens fuerit Archiepiscopus vel alius, qui utitur cruce, statim publicata Indulgentia, Capellanus portabit ante illum Crucem, quam genuflexus tenebit, deinde Archiepiscopus, vel ille, qui utitur cruce, deposita mitra, cruci caput inclinabit, et dabit benedictionem, sicut dictum est supra.

5. Alio modo datur benedictio in fine Missæ: dicto scilicet *Placeat tibi, sancta Trinitas, etc.*, tunc enim Episcopus, qui non utitur cruce, accepta mitra, stans in medio altaris, pollice dexteræ manus format sibi signum crucis in pectore, cantans: *Sit nomen Domini benedictum*, interim sinistram super altari retinens, et dum a choro respondetur *Ex hoc nunc, et usque in sæculum*, etiam ipsam manum dexteram super altari tenet; deinde dicens *Adjutorium nostrum in nomine Domini*, eadem dextera manu signat se signo crucis a fronte ad pectus, et a sinistro humero in dexterum, tangens se in unoquoque verbo, videlicet, dum dicit *Adjutorium* in fronte, *nostrum* infra pectus, *in nomine* in sinistro humero, *Domini* in dextero, et iterum ipsam manum dexteram super altare reponit, donec a choro respondeatur *Qui fecit cælum et terram*. Deinde dicens *Benedicat*

vos omnipotens Deus, elevat ad cœlum simul oculos et manus, quas ante faciem jungit, et accipiens manu sinistra baculum, dum dicit *Pater*, vertit se ad latus Epistolæ, et ibi signat populum, et dicens *et Filius*, vertit se directe ad populum in medio Ecclesiæ existentem, signans iterum: dicens vero *et Spiritus sanctus*, vertit se totum ad latus Evangelii, et ibi tertio signat populum, perficiendo circulum.

6. Si vero erit Archiepiscopus, vel alius crucem ante se habens, versus ad illam sine mitra, dabit integram benedictionem, incipiens ab iis verbis: *Sit nomen Domini benedictum*. Ubi vero populus non ante ipsius altaris faciem, sed post illam stat, Episcopus, sive Archiepiscopus, non vertit se, sed stans ante medium, signat primo a latere Evangelii, deinde in medio, demum a latere Epistolæ.

7. Simili modo in fine Vesperarum, ac Matutini, seu Laudum, Episcopus, sive Archiepiscopus benedicit, cum ipse solemniter facit Officium. Hanc eandem benedictionis formulam servabit Episcopus, quando danda erit in fine alicujus Processionis; quæ etiam in usu est in primo ingressu Episcopi, vel Archiepiscopi ad civitates, et oppida suæ Diocesis, vel Provinciæ, postquam ad Ecclesias pervenit, ut diximus in *Cap. II. §. v. et VIII. hujus Lib. I.* Quod si Episcopus assistat cum cappa, dabit benedictionem, tecto capite cum caputio cappæ vel cuculli, vel etiam cum bireto.

8. Reliquum est, ut de publicatione Indulgentiarum pauca subjiciantur. Consuevit enim, cum datur benedictio solemnem per Episcopum, plerumque, non tamen in Vesperis, concedi etiam Indulgentias pro concedentis facultate. Si enim est Episcopus, vel Archiepiscopus, dierum quadraginta, de jure communi; si vero Episcopus esset S. R. E. Cardinalis, centum: quæ quidem Indulgentia, cum datur benedictio infra Missam, post sermonem et confessionem ab ipso sermocinante publicatur, statim finita confessione, antequam detur benedictio; quo casu non publicatur am-

plius post benedictionem in fine Missæ. Cum vero non habetur sermo, in fine Missæ Pontificalis, statim post solemnem benedictionem publicatur per Presbyterum assistentem, si Episcopus celebret, vel eo non celebrante, per ipsummet Prælatum, vel Canonicum celebrantem, præsentem Episcopo.

9. In primo vero ingressu Episcopi, vel Archiepiscopi ad civitates, vel oppida suæ Diocesis, aut Provinciæ, publicatur per unum ex illorum ministris, sive beneficiatis Ecclesiæ, alta voce, dicendo: *Reverendissimus in Christo Pater, et Dominus N. etc.* ut supra §. I. Si vero Episcopus esset Cardinalis, dicitur in hunc modum: *Eminentissimus, et Reverendissimus in Christo Pater, et Dominus, Dominus N. Tituli sancti N. sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis N. et Episcopus N. dat, et concedit omnibus hic præsentibus centum dies de vera Indulgentia, in forma Ecclesiæ consueta, etc.*

10. Ad quem autem spectet has benedictiones dare, cum adest simul cum Episcopo Legatus de latere, aut etiam Cardinalis non Legatus, aut Metropolitanus, aut Nuntius Apostolicus, vel alii Prælati, officio et auctoritate præstantes, jam supra in *Cap. IV. §. IV. Lib. I.* expositum fuit.



CAPUT XXVI.

Si Dignitates, et Canonici pro gradu, quem obtinent in Ecclesiis, legitime impediti fuerint, alii proximiores de Capitulo in divinis Officiis vices subeant. Qui sine justa causa deficiunt, arbitrio Episcopi, seu secundum Ecclesie consuetudinem, mulcentur. Presbyter Canonicus proximior, Presbyteri assistentis locum suppleat. Si unus, aut duo ex Diaconis assistentibus absint, subsequentes Diaconi et Subdiaconi suppleant, et ex necessitate ultimus Presbyter, dalmatica Diaconali indutus, ad sinistram Episcopi. Si aliquis ex Dignitatibus Diaconi assistentis vices gerat, induat quidem dalmaticam, sed maneat ad dexteram Episcopi. Ubi non sunt ordines distincti Canonice, duo Canonici sint loco assistentium Diaconorum. Eadem regula, quoad supplendas vices, servetur inter inferiores de Capitulo.

1. Plerumque evenit, ut ex his, qui in aliquo peculiari ministerio, dum Officia divina peraguntur, servire solent, sive illi Dignitates, sive Canonici, seu etiam inferioris ordinis, sint legitimo impedimento detenti; ut quia absentes, vel infirmi, vel senio languentes, seu aliis justis de causis occupati, munus eis competens obire nequeant. Quo casu, ne debitum ministerium deseratur, dum alter alterius onus, aut curam subire negligit, vel recusat, deficientium vices ab aliis suppleri debent; et nihilominus, si qui sine justa causa deficiunt, arbitrio Episcopi, vel juxta consuetudinem Ecclesie, in divisione distributionum mulctandi erunt; et quidem regulariter majores minorum vices non suppleant, nisi ex necessitate; sed contra, inferiores superiorum vices subeunt, præterquam in iis, quæ sunt ordinis peculiaria, velut, si in aliqua Ecclesia gradus et ordines distincti sint; nempe Dignitates, Canonici Presbyteri, Diaconi et Subdiaconi, tum Beneficiati et Clerici.

2. Deficiente ergo prima Dignitate, seu primo Presbytero Canonico, in officio Presbyteri assistentis, supplebit alter ei proximus, sive sit Dignitas, sive Presbyter Canonicus; quo etiam deficiente, subintrant alii Presbyteri proximiores: sic etiam ex duobus Canonicis Diaconis assistentibus, si alter, vel ambo deficiant, alii subsequentes Diaconi supplebunt: quod si unus tantum Diaconus, vel Subdiaconus adesset, tunc ex necessitate ultimus Presbyter, licet major, supplet loco Diaconi, vel Subdiaconi deficientis, et si Canonici essent sacris vestibus parati, ut quia Episcopus celebraret, ipse ultimus Presbyter induere deberet dalmaticam more Diaconi, cujus loco servit; sed eo casu Diaconus, qui aderit, sedebit a dexteris Episcopi; cui imponet et deponet mitram; nempe cum proprium suum ministerium exerceat; Presbyter autem Canonicum a sinistris loco secundi Diaconi assistentis adjuvabit.

3. Quod si omnes prorsus Diaconi et Subdiaconi deficerent, duo ultimi Presbyteri eorum locum implerent. Diaconi autem nullatenus loco Dignitatum Presbyteralium, aut Presbyterorum Canonice suppleant.

4. Si nullus Presbyter Canonicus adesset, præter Dignitates, tunc aliquis ex ipsis Dignitatibus, dalmatica similiter more Diaconi indutus, suppleret locum Diaconi deficientis: sed tali casu ipse, Dignitatem obtinens, maneret ad dexteram Episcopi; Diaconus vero ad sinistram; sed ipse Diaconus a sinistris manens, serviret in ministerio imponendi et deponendi mitram Episcopo.


5. Hæc autem, quæ diximus, procedunt, ubi ordines et Præbendæ sunt distinctæ; ubi vero ordines non sunt distincti, duo Canonici, immediate sedentes post Canonicum, qui servit in officio Presbyteri assistentis, erunt apud Episcopum loco Diaconorum assistentium.

6. Eadem ratione et regula etiam alii inferiores de Capitulo, ut Beneficiati et Clerici, alterius sibi immediate præcedentis vices, cum opus erit, supplebunt.

CAPUT XXVII.

Duo sunt Orationum , seu Collectarum toni, solemnus et simplex. Solemni utendum in festis duplicibus et semiduplicibus. Simplici in ferialibus, ac festis simplicibus, pro Defunctis, ac etiam in diebus solemnibus, extra Matutinum, Missas et Vesperas. Regulæ canendi ex libris choralibus sumendæ.

1. Sciendum est, duos esse Orationum tonos, alterum solemnem, alterum simplicem; seu alterum festivum, alterum feriale: et tono quidem solemnem utimur in festis duplicibus et semiduplicibus in Matutinis, Missis et Vesperis; altero vero simplici in ferialibus, et festis simplicibus, ac pro Defunctis, et in aliis, quæ occurrunt extra Matutinum, Missas et Vesperas, etiamsi diebus solemnibus recitentur, ut in cæteris Horis Canonicis, in benedictionibus Candelarum, Palmarum, et similibus. Differentia autem inter solemnem et simplicem tonum est juxta antiquum ritum et observantiam Capellæ Papalis; quia solemnis duas tantum habet variationes, et regulariter prima variatio fit per duas notas descendendo, et redeundo ad eundem tonum, videlicet, ut hic demonstratur:



Fa mi re fa.


et in prima clausula Orationis, quæ habet verbum videlicet in fine dictæ clausulæ, quæ gemino puncto a sequenti clausula solet designari secundum rectam orthographiam; quemadmodum apparet ex propositæ Orationis modulatione:



De-us, qui in-ter cæ-te-ra po-ten-ti-æ




tu-æ mi-ra-cu-la, e-ti-am in se-xu



fra-gi-li vi-clo-ri-am mar-ty-ri-i con-tu-li-sti:

Secunda variatio fit per unam notam descendendo, videlicet,



Fa mi.

In fine secundæ clausulæ sequentis, quæ pariter, vel gemino puncto, vel puncto et virgula constat:



Con-cc-de pro-pi-ti-us;

Ac deinceps, sequente clausula finali, uniformi tono sine declinatione vocis completur, videlicet:



Ut qui be-a-tæ Ca-tha-ri-næ, Vir-gi-nis et



Mar-ty-ris tu-æ, na-ta-li-ti-a co-li-mus, per



e-jus ad te ex-em-pla gra-di-a-mur.

Conclusiones etiam earundem Orationum in tono solemniter diversimode variantur, prout ipsæ conclusiones diverso modo sunt conceptæ. Aut enim dicitur *Per Dominum nostrum, etc.*, aut *Qui vivis, et regnas, etc.* Primo casu fit variatio per unicam notam in fine primæ clausulæ sine verbo, videlicet:




Per Do-minum nostrum Je-sum Chri-stum



Fi-li-um tu-um.

In secunda vero clausula per duas notas, scilicet:



Qui te-cum vi-vit et regnat in u-ni-ta-te



Spi-ri-tus san-cti De-us.

In tertia vero et ultima, nulla fit variatio, prout de Oratione dictum est; nimirum:



Per o-mni-a sæ-cu-la sæ-cu-lo-rum.

Secundo casu, cum dicitur *Qui vivis et regnas, etc.*, in qua sunt duæ tantum clausulæ, prima variatur per duas notas, videlicet:



Qui vi-vis et regnas cum De-o Pa-tre in



u-ni-ta-te Spi-ri-tus sancti De-us.

Secunda, et finalis non variatur. Tonus vero simplex, et ferialis nullam habet variationem, sed cum eo utimur, uniformi tono et voce proferimus Orationes a principio usque ad finem; et pari modo in earum conclusionibus, ut patet in sequenti modulationis exemplo:



De-us, qui in-ter A-po-sto-li-cos Sa-cer-do-tes




fa-mu-lum tuum Pon-ti-fi-ca-li fe-ci-sti



di-gni-ta-te vi-ge-re, præsta quæ-su-mus, ut



e-o-rum quoque per-pe-tu-o ag-gre-ge-tur




con-sor-ti-o.

Excipiuntur etiam ab hac regula Orationes et Versiculi, qui cantantur pro Defunctis extra Missas, ut in Vesperis et Matutinis, et aliis Officiis, in quibus in fine Orationum et Versiculorum deprimitur vox per tertiam, hoc est a *Fa ad Re* in ultimis syllabis, ut pariter ex proximo alio exemplo constat:



Pa-ter nos-ter. Et ne nos in-du-cas in ten-



ta-ti-o-nem. A por-ta in-fe-ri.



Do-mi-nus vo-bis-cum. O-re-mus.

Regulare autem est, ut in utroque tono, voce gravi et competenti, interposita aliqua mora, in fine cujuslibet

clausulæ, et præsertim in clausula finali, cum decore et gravitate recitentur Orationes. De tonis vero Evangeliorum et Epistolarum, Capitularum, Antiphonarum, et aliorum multorum, quæ frequenter in Ecclesiis recitantur, nulla in hoc libro fit mentio, cum libri impressi reperiantur, qui de his abunde loquuntur, ut in Pontificali Romano, Sacerdotali Romano, Directorio chori, et similibus, ex quibus singuli instrui possunt. Nam hic ea tantum apposuimus, quæ ad personam celebrantis in proferendis Orationibus spectant, ob varium usum illas recitandi.

CAPUT XXVIII.

Organa in Ecclesia adhibentur in omnibus Dominicis et festis per annum. Pulsari non debent in Adventu, et a Quadragesima ad Pascha, exceptis Dominica tertia Adventus, et quarta Quadragesimæ, ac festis quibusdam per ea tempora occurrentibus. Pulsantur in ingressu Episcopi ad Ecclesiam, quoties ille solemniter celebrat. Item in ingressu Legati Apostolici, Cardinalis, Archiepiscopi et alterius Episcopi, ubi primum ad Ecclesiam accedunt, donec orant. Quando, et quomodo tangenda sint in Matutinis solemnibus, in Vesperis, et in versibus Hymnorum, et in Missa. Num adhibenda sint in Horis Canonicis. Sonus organi, et cantus modulatio, ne levitatem, aut lasciviam præferant. Nec musica, nec organum in Officiis et Missis Defunctorum adhibeatur.

1. In omnibus Dominicis, et omnibus festis per annum occurrentibus, in quibus populi a servilibus operibus abstinere solent, decet in Ecclesia organum, et musicorum cantus adhiberi.

2. Inter eas non connumerantur Dominicæ Adventus et Quadragesimæ, excepta Dominica tertia Adventus, quæ dicitur *Gaudete in Domino*, et quarta Quadragesimæ, quæ

dicitur *Lætare Hierusalem*, sed in Missa tantum, item exceptis festis, et feriis infra Adventum, aut Quadragesimam occurrentibus, quæ cum solemnitate ab Ecclesia celebrantur; ut die Sanctorum Matthiæ, Thomæ Aquinatis, Gregorii Magni, Josephi, Annuntiætionis, et similibus infra Adventum et Quadragesimam occurrentibus. Item feria quinta in Cœna Domini ad Missam tantum, et Sabbato Sancto ad Missam, et ad Vesperas; et quandocumque occurreret celebrare solemniter et cum lætitia, pro aliqua re gravi.

3. Quotiescumque Episcopus solemniter celebraturus, aut Missæ solemniter per alium celebrandæ in festis solemnioribus interfuturus, Ecclesiam ingreditur; aut, re divina peracta, discedit, convenit pulsari organum.

4. Idem fit in ingressu Legati Apostolici, Cardinalis, Archiepiscopi, aut alterius Episcopi, quem Episcopus Diœcesanus honorare voluerit, donec prædicti oraverint et res divina sit inchoanda.

5. In Matutinis, quæ solemniter celebrantur in festis majoribus, possunt pulsari organa, prout et in Vesperis, a principio ipsorum.

6. Regulare est, sive in Vesperis, sive in Matutinis, sive in Missa, ut primus versus Canticorum et Hymnorum, et pariter versus Hymnorum, in quibus genuflectendum est, qualis est Versiculus *Te ergo quæsumus, etc.*, et Versiculus *Tantum ergo Sacramentum, etc.*, quando ipsum Sacramentum est super altari, et similes, cantentur a choro in tono intelligibili, non autem ab organo: sic etiam Versiculus *Gloria Patri, etc.*, etiamsi Versiculus immediate præcedens fuerit a choro pariter decantatus; idem servatur in ultimis versibus Hymnorum.

7. In aliis autem Horis canonicis, quæ in choro recitantur, non est consuetum interponere organum. Sed si in aliquibus locis consuetum esset organa pulsari etiam inter Horas canonicas, aut aliquas earum, ut est hora Tertia; præsertim quando cantatur, dum Episcopus so-

lemniter celebraturus, capit sacra paramenta, poterit talis consuetudo servari; sed advertendum erit, ut, quandocumque per organum figuratur aliquid cantari, seu responderi alternatim versiculis Hymnorum, aut Canticorum, ab aliquo de choro intelligibili voce pronuntietur, id, quod ab organo respondendum est. Et laudabile esset, ut aliquis cantor conjunctim cum organo voce clara idem cantaret.

8. In Vesperis solemnibus organum pulsari solet in fine cujuslibet Psalmi; et alternatim in Versiculis Hymni, et Cantici *Magnificat, etc.*, servatis tamen regulis supradictis.

9. In Missa solemniter pulsatur alternatim, cum dicitur *Kyrie eleison*, et *Gloria in excelsis, etc.*, in principio Missæ; item finita Epistola; item ad Offertorium; item ad *Sanctus, etc.*, alternatim; item dum elevatur SS. Sacramentum, graviore, et dulciori sono; item ad *Agnus Dei, etc.*, alternatim; et in Versiculo ante Orationem post Communionem, ac in fine Missæ.

10. Sed cum dicitur Symbolum in Missa, non est intermiscendum organum, sed illud per chorum cantu intelligibili proferatur.

11. Cavendum autem est, ne sonus organi sit lascivus, aut impurus, et ne cum eo proferantur cantus, qui ad Officium, quod agitur, non spectent, nedum profani, aut lubrici, nec alia instrumenta musicalia, præter ipsum organum, addantur.

12. Idem quoque cantores et musici observent, ne vocum harmonia, quæ ad pietatem augendam ordinata est, aliquid levitatis, aut lasciviæ præ se ferat, ac potius audientium animos a rei divinæ contemplatione avocet; sed sit devota, distincta et intelligibilis.

13. In Missis et Officiis Defunctorum, nec organo, nec musica, quam figuratam vocant, utimur, sed cantu firmo; quem etiam tempore Adventus et Quadragesimæ, in ferialibus diebus convenit adhiberi.